



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hierakosophion**

**Demetrius <Pe pagomenus>**

**Lvtetiae, 1612**

xxij. De capit is dolore ob venarum obstructionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12846**

dolore indefinite conscripserunt, magnum incommodum pro remedio his animantibus attulerunt. non enim capite dolent, vnam, sed plures ob causas, quarum singulis medicina est adhibenda. Etenim caput dolet accipitri, qui id de more non erigit, sed alis frequenter occultat, sic ut dormire videatur. Is dolor accidit à multo noxio humore ex alienis cibis collecto, in caputque contracto, atque ex obstructione meantium vaporum acrum in caput incubentium. Fit etiam ab immoderato frigore, contracto ex aucupio, ita ut destillatione laboret: interdum à ferore æstuq. solis: nonnunquam à fumo: aliquando ab odore vini, quod perniciosum est. nam nisi auceps intelligit accipitrem ab odore remouendū esse, perit accipiter naturalibus instrumentis læsis. Curatur, si ferri scoriam mortario diligenter tritam arido illius palato infricueris, atque in id inspiraueris vetus vinum, & ut mos est, ipsum curaueris.

*De capitis dolore ob venarum  
obstructionem.*

**C**APITE aograuatus, aspectu mœstus, palpebras oculorum difficulter tra-

hens, significat suorum temporum venas obstructas esse, ex eoque caput torqueris hunc modo curabis. Vetus vinum ore sumptum in illius caput, oculos, naresque inspirato, quotidie lauato, & ad sanitatem perduces.

*Destillationis cognitio & cura.*

**C**ONTRAHITVR hæc ægritudo frequenter diei pestilentis inconstantia, aut sordidarum carnium vñi. Cognoscitur, cum supra oculos, capit is caua loca plena existunt: aut cum carnem carpit, guttæ quædā aquæ decidunt: aut cum oculorum pupillæ velut nebulæ aquosæ implentur. Cum vnum ex his signis apparet, hoc sicco remedio curabis. Costi, folij Indici, singularum scrupulos quinque, baccarum lauri aridarum drachmā, pulicariæ scrupulum. omnia contusa, & tenui cribro transmissa, arida seruato, hisque cum opus erit, illius palatum confricato: fauces melle illinito: tum ex arido prædicto in nares iniicito, deinde horam vnam ad solem ipsum exposito, & curabitur.